



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Flores Meditationvm**

**Bebius, Philippus**

**Coloniae Agripp., 1623**

Medit. 34. De V. Sacramento.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)



MEDITATIO XXXIV.  
DE VENERABILI  
SACRAMENTO.

PUNCTA MEDITATIONIS.

*Ioan. 6. I. Dixit IESVS turbis: Caro mea verè  
est cibus, & sanguis meus verè est po-  
tus. Qui manducat meam carnè, &c.  
in me manet, &c.*

*II. Qui manducat me, viuet propter me:  
Hic est panis, qui de Cœlo descendit.*

*III. Non sicut manducauerunt patres  
vestri manna, & mortui sunt. Qui  
manducat hūc panem, viuet in aeter-  
num.*

F I G V R A E.

*Gen. 14. I. A B R A H A Æ à cæde Regum redeunti,  
obuiam venit Melchisedech Rex  
Salem, & protulit panem, & vinum. Erat  
enim sacerdos Dei altissimi.*

*Exod. 16 2. Filijs Israel in deserto, egentibus ci-  
31. bo, misit Deus illis manna de Cœlo, vt  
Ios. 5. 12. sustentarentur, donec in terram promif-  
sionis venirent.*

PRO-

PROPHETIÆ.

**T**u es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Ps. 109.

Escam dedit timentibus se. Ps. 110. 5

Frumentum electorum, & vinum germi-  
nans virgines. Zach. 9.

DOCUMENTA.

1. **C**ARO mea verè est cibus. Quia Christus sub Sacramentalibus speciebus existit, & operatur eadem, in anima, quæ cibus in corpore: nam cibus corporeus vitam sufficit, ne vitali humore absumpto per mortem deficiat; Caro Christi, vitam animæ, gratiam scilicet & iustitiam conseruat, ne in peccatum mortale incidat. 2. Cibus vegetat, & nutrit corpus, vires & robur ad ambulandum, & laborandum addit; Caro Christi animam alit, virtutes nutrit, robur cõfert vt bene operetur. 3. Cibus auget corpus vsque ad iustam magnitudinem, Eucharistia animam, vt crescat virtute. 4. Cibus corpus morbo aut labore exhaustum restaurat; Eucharistia animam concupiscentia & tentationibus debilitatam sanat, ac renouat. 5. Cibus delectat; Eucharistia in iustis habet omne delectamentum suauitatis.

2. **S**anguis meus verè est potus. Quia in Eucharistia Corpus Christi est viuum, ideo sub vna etiam specie habet sanguinem (per concomitantiam vt dicunt, Theologi) & conseruat animæ omnia, quæ potus corpori affert. 1. alimentum concoctioni deseruit. 2. ex alimentis succum elicit ad nutritionem. 3. feruorem sanguis-

Sanguinis & membrorum siccitatem temperat. 4. extinctioni, quam calor naturalis efficeret, obsistit. Sic proportione quadam, Christus in Eucharistia. 1. deuotionem custodit. 2. concupiscentiæ ardorem extinguit. 3. ariditatem voluntatis tollit, & quasi per vires animæ sua virtute permeans, quæ ad cognitionem & amorem Dei requiruntur, defert. Ut illius in te desiderium accendas.

3. *Qui manducat me, &c. in me manet.* Eucharistia est Sacramentum vnionis, mysterium charitatis, arcanum dilectionis: quia amans manet in amato; Et anima magis est ubi amat, quàm ubi animat: manet Christus in te etiam reali præsentia, non ita, ut in te corrumpatur, sed ut tu, in illum muteris: quemadmodum lignum est in igne, & ab eo consumitur, ut ignis videatur. 2. quia est vita animæ & illam spiritaliter continet ac viuificat, sicut anima corpus. Tu vide ut gratiæ vitam, Christo mediante retineas & augeas.

4. *Qui manducat me, viuet propter me.* Christus in Eucharistia est omnis causa vitæ spiritalis. 1. efficiens, quia te ad opera virtutum mouet. 2. finis, quia facit, ut omnia opera, ad Dei gloriam, purissima intentione dirigas. 3. formalis quasi, quia est exemplar, ad cuius similitudinem omnia in omnibus tuis actionibus ac desiderijs effingas. 4. tandem est materia vitæ, ut circa eum, & de eo cogitationes sanctas concipias, & in eum affectibus ardentissimis tendas. Vide Iacobum Alvarez lib. 2. c. 8. vbi 7. Medit. habet de hoc Euangel.

MEDI-